

Ego Gregorius Diaconus Cardinalis sancti Michaelis Archangeli. Ego Joannes Diaconus Cardinalis sancte Marie Novae. Ego Hugo Romane Ecclesie Diaconus tit. sancte Lucie in Orphea. Ego Astaldus Diaconus Cardinalis sancti Eustachii. Datum Laterani per manum Baronis Cappellani & Scriptoris, Idibus Martii. Indict. VII. Incarnationis Dominice anno MCXLIV. Pontificatus vero D. Lucii Papae II. anno I.

Dat. die 15. Martii anno Domini 1144. Pontif. anno I.

III.

Confirmatio Bonorum & Privilegiorum, a summis Pontificibus Monasterio S. Petri Perusii Ord. Cassinen. concessorum.

Similia Diplomata concessere Monasterio huic Innoc. PP. II. anno 1137., Paschalis II. 1115., Alexander II. 1065., Nicolaus II. 1059., Leo IX. 1033., Silvester II. 1002., Benedictus V. 978.

Ex Archiv. Monast. beatus edidit Margaritinus Bular. Cassin. Par. II. num. CLXV.

Lucius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Bernardo Abbati Monasterii S. Petri, quod fecit Perusinum Civitatem situm est, ejusque Fratribus, tam presentibus quam futuris regulariter promovendis, in perpetuum.

Exordium.

Desiderium, quod ad Religionis profectum, & animarum salutem pertinere monstratur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desiderii congruum imperiri suffragium. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, atque predecessorum nostrorum vestigiis inherentes, prefatum Monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, Apostolice Sedis privilegio communimus; Statuentes, ut quascumque possessiones, quascumque bona idem Locus impraesentiarum iuste & legitime possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, Deo propitio, poterit adipisci, vobis vestrisque successoribus firma & illibata permaneant, tam in Ecclesiis quam in cellis, curtibus, plebibus, monasteriis, fundis, atque casalibus. In quibus utique haec propriis nominibus duximus exprimenda: Plebem scilicet S. Constantii, S. Rufini, S. Martini, & S. Joannis, plebem S. Martirii, Ecclesiam S. Benedicti in Agellione cum suis pertinentiis, Ecclesiam S. Angeli de Aliano cum suis pertinentiis, Ecclesiam S. Mariae in Cicciano, & S. Clementis, curtem de Casale, curtem de Petroniano, quidquid vobis pertinet de curte & Ecclesia S. Donati in Civitella, nec non terram Ugonis nepotis Bernonis de Monte-nigro. Apostolice quoque Sedis tibi munimine confirmamus Ecclesias sanctorum Appollinaris, Blasii, & Montani cum suis pertinentiis: salvo annuo censu Pharphenis Ecclesie. Quin etiam confirmamus massas tres, in Comitatu Perusino positas, unam, quae vocatur Pufulo, alteram Filoncio, & aliam, quae nuncupatur Casali-

Bona Monasterii confirmata.

& enumerat.

na, cum Ecclesiis, casis, vineis, campis, hortis, montibus cultis & incultis, & omnibus pertinentiis suis: Monasterium S. Angeli in Comitatu Assisinate, in loco, qui dicitur Limisano, cum cellis, cappellis, & omnibus sibi pertinentibus: Ecclesiam S. Archangeli sitam juxta Lacum Perusinum, Monasterium S. Salvatoris in Pothale, Monasterium S. Petri in Plojano cum universis eorum pertinentiis, Ecclesiam S. Silvestri in Morcelle, Ecclesiam S. Donati: Jus, quod habetis in Agello, Ecclesiam S. Mariae in Podio cum suis pertinentiis, Ecclesiam S. Pauli in Monticello, Ecclesiam S. Petri de Petroniano cum curte sua. Sanè Chrisma, Oleum sanctum, consecrationes Altarium seu Basilicarum, ordinationes Monachorum, qui ad sacros Ordines fuerint promovendi, & Clericorum ad idem Monasterium pertinentium, a Dioecetano accipietis Episcopo, si quidem catholicus fuerit, & si ea gratis ac sine pravitate voluerit exhibere; alioquin liceat vobis catholicum, quem malueritis, adire Antistitem, qui nostra fultus auctoritate, quae postulat, indulgeat. Obviente vero te, nunc ejusdem Loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia vel violentia praeponeatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem, & B. Benedicti regulam elegerint, a Romano Pontifice consecrandum. Missas autem publicas in eodem Monasterio per Episcopum fieri, vel stationes, aut ordinationes aliquas celebrari, praeter Abbatis ac fratrum voluntatem, omnimodo prohibemus; ne in servorum Dei recessibus, occasio popularibus praebatur ulla conventibus. Nec ulli Episcopo facultas sit, praeter Romani Pontificis convenientiam, idem Cenobium, aut ejus cellas gravare, interdicere, excommunicare, seu exactiones novas imponere. Nec secularium procerum cuiquam liceat fodrum, vel aliud servitium ab eodem Monasterio, aut ejus pertinentiis extorquere: salvo nimirum jure adomnio Sanctae Romanae Ecclesiae. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, eandem Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, seu injuste datas, suis usibus vendicare, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districti ultioni subjaceat; Cunctis autem eidem loco iusta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud districtum Judicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Monachos in spiritualibus Episcopo Dioecetano subiectos declarat.

Abbas electionem ad Monachos, consecrationem ad Rom. Pontificem pertinere, statuit.

Missas, stationes, ordinationesque publicas in eodem Monasterio absque Abbatis consensu fieri.

Illudque interdicit, aut quali et occasione molestari, prohibet. Adversus perturbantes, seu occupantes bona, & iura Monasterii, excommunicationem promulgat.

Benefactoribus benedictionem largitur.

Lucii PP. & S. R. Ecl. Card. subscriptiones.

pel-

pellani & Scriptoris, Idibus Martii. Indict. VII. Incarnationis Dominicae ann. MCXLIV. Pontificatus vero D. Lucii II. Papae anno I.

IV.

Simile Privilegium Monasterio S. Joannis Parmensi Dioecesis Ordinis Cassinen.

Ibidem.

Lucius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Guidoni Abbati Monasterii sancti Johannis, quod in Parmensi Urbe situm est, ejusque Fratribus, tam presentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Exordium.

Quoniam sine vera cultu Religionis nec caritatis unitas potest subsistere, nec Deo gratum exhiberi servitium, expedit apostolice auctoritati, Religiosas personas diligere, & Loca, in quibus divinis vacant officiis, Sedis Apostolice munimine conservare. Ideoque, dilecti in Domino filii, vestris rationabilibus postulationibus clementer annuimus; & predecessorum nostrorum, felices memoriae Paschalis, & Innocentii, Romanorum Pontificum, vestigiis inherentes, Ecclesiam sancti Johannis, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti paginae communimus; Statuentes, ut quascumque possessiones, quascumque bona impraesentiarum iuste & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: In eodem Episcopatu Parmensi Ecclesiam S. Stephani, quae est in Burgo, Ecclesiam sancti Michaelis de Arca, Ecclesiam sancti Stephani de Torano, Ecclesiam sancti Savini cum curte, Ecclesiam sancti Laurentii de Ramufello, castrum Ramufelli cum Ecclesia, castrum sancti Vitalis cum Ecclesia & curte, Ecclesiam de Gainaco, Ecclesiam sancti Silvestri de Insula, Ecclesiam sancti Salvatoris de Sanguineo cum castro & curte, duas partes curtis Saccae, & quod iuste in Ecclesia ejusdem loci habetis, Ecclesiam sanctae Justinae, Ecclesiam sancti Prosperi & sancti Anastasii, quae sunt in eadem civitate, Ecclesiam sancti Jacobi, quae est in capite Pontis, Ecclesiam sancti Petri de Burgo sancti Domini, Ecclesiam de Provinciano, Ecclesiam de Casadei cum omnibus earum pertinentiis, Ecclesiam sancti Matthaei de Callio, Ecclesiam sancti Melani cum medietate Burgi & quatuor domibus, Ecclesiam de Paterno cum castro & curte, Ecclesiam sancti Michaelis de Filino, & quod iuste habetis in Ecclesia sancti Georgii de Pratis: In Regiensi vero Episcopatu Ecclesiam sancti Michaelis: In Lunensi Episcopatu Ecclesiam sanctae Justinae, Ecclesiam de Cavallaria: In Episcopatu Pistoriensi Monasterium sancti Bartholomaei cum Ecclesia sanctae Mariae, quae est in Burgo, & Ecclesia sanctae Mariae, quae est extra portam, Ecclesiam sancti Bartholomaei de Travallio, Ecclesiam sancti Domini de Impolis cum curte & omnibus suis pertinentiis, Ecclesiam sanctae Mariae de Capiciano, Ecclesiam

Monasterium sub protectione Sedis Apostolicae suscipit.

Bonaque omnia eidem confirmat.

Nonnulla enumerat.

Adecuratum solutione eximit, proprias que concedit.

Sepulturam in eodem Cenobio cuiuslibet liberam fore declarat; salvo jure matricis Ecclesiae. Excomunicacionem ad, verus illud molestans indicit.

Benedictionem Benefactoribus largitur.

Dat. die 17. Martii anno Domini 1144. Pontif. anno I.

sancti Michaelis de valle Nebulae cum omnibus earum pertinentiis. Decimas quoque, a discretione Parmensium Episcoporum Monasterio vestro concessas, vobis nihilominus confirmamus. Sane de laboribus, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, seu de nutrimentis vestrorum animalium, a vobis decimas exigi prohibemus. Quaecumque vero libera persona ad vos venire, & religionis habitum suscipere voluerit, licentiam ei concedimus. Sepulturam quoque ipsius Loci liberam esse concedimus, ut quicumque se illic sepeliri decreverint, nisi forte excommunicati fuerint, eorum devotioni, & extremae voluntati nullus obstet: salvo tamen jure matricis Ecclesiae. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, idem Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuire, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salva Dioecetani Episcopi canonica iustitia, & Apostolice Sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districti ultioni subjaceat; Cunctis autem eidem loco iusta servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud districtum Judicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

EGO LUCIUS Catholicae Ecclesiae Episcopus scilicet. Datum Lat. per manum Baronis Cappellani, & Scriptoris. XVI. Kal. Aprilis Indictione VII. Incarnationis Dominicae anno MCXLIV. Pontificatus vero Domini Lucii II. Papae, anno I.

V.

Confirmatio bonorum omnium, & jurium S. Cremonensis Ecclesiae.

Lucius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Oberto Cremonensi Episcopo, ejusque successoribus canonicè substituendis, in perpetuum.

Ex Cartulario Ecclesiae hujus editit Ughele. lib. I. fol. Tom. IV.

Si cut injusta postentibus nullus est tribendus effectus, sic legitima desiderantium non est differenda petitio. Quocirca, dilecti in Christo frater Oberte Episcopo, tuis postulationibus clementius annuentes, ad perpetuam sanctae Cremonensis Ecclesiae firmitatem, possessiones & bona omnia, quae impraesentiarum Ecclesia eadem iuste possidet, sive in futurum, Domino largiente, iuste atque canonicè acquirerit, apostolica auctoritate firmamus; Inter quae omnia, haec prima visa sunt nobis exprimenda: Quicquid scilicet curati telonei, atque ripatici & portatici de Cremonensi civitate ad publicam fan-

Exordium.

Bona omnia Ecclesiae confirmat.

Bona ipsa, iuraque nonnulla enumerat.

Et io-

tionem pertinerit, tam de ipsius civitatis Comitatu, quam de parte curtis Sexpilas: necnon ripas & piscarias a Vulpariolo usque in caput Aduæ cum molendinis, & cum uniuersisque navis solito censu, sicut continetur in præcepto, & in tuis notitiis: seu cum per solutionem omnium navium causâ mercandi Cremonam aduentium, tam Venetorum, quam cæterorum navium, & cum curata omnium negotiorum, quæ sunt in prædicta ripa: districtiorem civitatis infra & extra per quinque milliariorum spatia: Altare quoque S. Hymerii, canonicam, & def. . . . . quas Canonici soliti sunt suscipere de manu Episcopi per beneficium, equos, tractus, operas, districtus, legationes, ostes, itinera, forum, & cætera, quæ in præfato præcepto continentur: & de Abbate & Monasterio sancti Laurentii, sicut iustè continetur in privilegiis tuis, & in præceptis Imperatorum: Ecclesias insuper sancti Salvatoris, & S. Martini de Morengo, & S. Andreae de Brugnano, & S. Mariæ de Rumanano, & Ecclesias de Farinate, de Vailate, & S. Stephani de Aufoningo, de Fontanella, de castro Sancini, de S. Bassiano, de S. Petro in Curte, de S. Joanne in Castro-veteri, de S. Michaeli in Burgo, de S. Siro, de Questro, de Alfiano, de Lacu-obscuro, de Scandolaia, de Clavatone, de castro Vivariolo, de Via-cava, de sancta Maria, de Commesajo, de Dufno, de Corrigia-viridi, de Pangoneta, de Ciconiaria, de Ecclesia S. Margarite, de Citanova, salvo statuto censu Monasterii S. Petri: In Ecclesia sancti Pauli de Citanova jus Episcopale, sicut per fratrem nostrum Indicum ex mandato prædecessoris nostri bonæ memoriæ Cælestini Papæ statutum est: Omnes etiam plebes cum cappellis, & baptismales Ecclesias cum eorum pertinentiis, quas in presenti quietè & canonicè possides: De omnibus Ecclesiis, quæ sunt in tuo Episcopatu, obedientiam, & synodalia, & cætera secundum debitam consuetudinem Ecclesiarum Cremonensis Episcopi: Curtem etiam, quæ Barianum dicitur, & Maleum, Crottam, Montodanum, Rivatellam, Monterionem, Jovis-altam, Fornovum, Sencium, Platenam, atque Mocianicam cum castris & villis, eorumque pertinentiis: Castrum de Rivigingo cum omni sua integritate, & partes in curtibus Gabiano, Vidalaico, Ternolasco, publica intus & extra, seu etiam in Azanello, Fontanella: & quæcumque prudentiæ tuæ studio prænominate Ecclesie iustè acquisita, vel acquirenda sunt, præsentis Apostolicæ Sanctionis nostræ paginâ corroboramus: Investituras quoque feudorum, in tuo Episcopatu a Presbyteris, Archipresbyteris, seu Abbatibus tuis factas de bonis Ecclesiarum absque tuo tuorumque prædecessorum consilio vel consensu, irritas esse sancimus: & ne deinceps huiusmodi investituras fieri, omnimodo prohibemus. Concordiam verò illam, quam inter te & majoris Ecclesie Cremonensis Canonicos prædecessor noster bonæ memoriæ Papa Callistus fecit, & scripto suo firmavit, ratam manere censemus, ut videlicet nullus in majori Ecclesia constituatur Canonicus præter assensum & voluntatem Episcopi, qui sicut Ecclesie caput est, ita voluntas eius & ratio debet præcedere: Canonici Episcopo obedientiam in manu eius promittant & teneant: Ad mensam Canonicorum, quando cum Canonicis come-

Investituras feudorum, a Presbyteris, Abbatibus, aliisque factas, de bonis Ecclesiarum absque Episcopi consensu irritas: Ratamque habet concordiam initam in ter Episcopum & Canonicos majoris Ecclesie.

derit, cum uno Clerico & uno serviente, vel cum duobus Clericis veniat, & tamquam Episcopus honoretur: De altari S. Himerii omnem oblationem recipiat præter edenda, quæ ad pedem altaris offerunt, & ad usum Canonicorum referuntur, & præter medietatem cere & incensi, quæ ibi offeruntur, quæ ad Ecclesie servitium referuntur: Archidiaconum, Cantorem, & alias personas Episcopus consensu Canonicorum constituat: Ecclesiam S. Michaelis, & prædia, & possessiones, quas Episcopus per idoneos testes propriè ad Episcopatum pertinere probaverit, quietè pacificèque obtineat: Et quia Canonici domum, in qua olim habitaverant, ad ampliandam Ecclesiam concesserunt domum: in qua modo habitant, licet juris Episcopi fuerit, pro concordia tamen & charitate deinceps ad communis vitæ usum & cohabitationem retineant, & hospites, quando voluerint, in eam recipiant: salvâ nimirum in omnibus auctoritate sanctæ Romanæ Ecclesie. Si quis igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, & in extremo examine districtæ ultionis subjaceat: Cunctis autem eidem Ecclesie iusta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi: quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Solita clausula.

EGO LUCIUS Catholicæ Ecclesie Episcopus. Ego Conradus Sabiniensis Episcopus. Ego Theodewinus S. Rufinæ Episcopus. Ego Stephanus Prænestinus Episcopus. Ego Petrus Albanensis Episcopus. Ego G. Presb. Card. tit. S. Calixti. Ego Goi. Presb. Card. tit. S. Cecilie. Ego Thomas Presb. Card. S. Vestine. Ego Ubaldo Presb. Card. S. Praxedis. Ego Manfredus Presb. Card. S. Sabinae. Ego Otto Diac. Cardinalis S. Georgii ad Velum aureum. Ego Guido Diac. Card. SS. Cosmæ & Damiani. Ego Joannes Diac. Card. S. Mariæ Novæ. Datum Laterani per manus Baronis Cappellani & Scriptoris. XVI. Kal. Aprilis, Indiæ. VII. Incarn. Dom. MCXLIV. Pontificatus verò D. Lucii II. Papæ anno I.

Lucii PP. & S. R. E. Card. subscriptiones.

Dat. die 17. Martii anno Domini 1144. Pontif. anno I.

VI.

Confirmatio jurium omnium, immunitatum, & bonorum S. Olivolensis Ecclesie.

Lucius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Jo: Olivolensis, seu Castellane Ecclesie Episcopo, ejusque successoribus canonicè substituendis, in perpetuum.

Ex auctoritate Patriarcbali Tabulario Venetiæ editi: Ugelli. Ital. Sac. Tom. V.

Æquum & rationabile est, ut Sancta Romana Ecclesia, quæ Ecclesiarum omnium Caput est & Magistra a Domino constituta, tamquam

Exordium.

Aliena jura per Episcopos non invadenda.

Hujusmodi decreta pro Ecclesia Olivolensi confirmans. Inter ejus terminos ne quis Patriarcha, vel Episcopus spiritualium jurisdictionem ullam exerceat, interdicit.

Data tantum facultate Grad. den. Patriarche Provinciale Concilium inibi celebrandi.

Jura ejusdem, bonaque omnia corroborat.

quam pia mater, curam & sollicitudinem habeat, & eas a pravorum hominum molestiis provida circumscriptione custodiat. Proinde nos, qui licet indigni, in loco B. Petri Apostolorum Principis, disponente Domino, residemus, fratres nostros Episcopos debita benignitate diligere, & Ecclesiis sibi commissis sua debemus ex injuncto nobis a Deo Apostolatus officio jura servare. Hoc nimirum charitatis intuitu, venerabilis frater Jo: Episcopo, tuis rationabilibus postulationibus clementer annuimus, & Olivolensem Ecclesiam, cui Deo auctore præses, Apostolicæ Sedis privilegio duximus muniendam. Sanctorum quippe Pontificum decretis constat esse statutum, ut nemo alterius terminos usurpet, nec alterius Parochianos judicare aut excommunicare præsumat: ut nullus Primas, nullus Metropolitanus, nullus unquam reliquorum Episcoporum, alterius adeat civitatem, aut ad possessionem; accedat, quæ ad eum non pertinet, & alterius Episcopi est Parochia, super cujusquam dispositione, nisi vocetur ab eo, cujus juris esse noscitur, nec quicquam ibi disponat, vel ordinet, aut dijudicet. Ea propter per præsentis scripti paginam prohibemus, & prohibentes statuimus, ut in Olivolensi, quæ & Castellana dicitur, Ecclesia, vel in ejus diocesi, nullus Patriarcha, nullus Comprovincialis Episcopus sine licentia tua vel successorum tuorum, Ecclesiarum aut clericorum vel sanctorum benedictionem, consecrationem seu benedictionem agere præsumat; nec potestatem habeat inibi christiana conficere, pueros christam confirmare, nec excommunicationes, aut absolutiones facere. Illud etiam adjicimus, ut in eadem Parochia sine voluntate vestra passim Episcoporum convocatio non fiat, nisi Comprovincialis Concilii Graden. quod & ipsum cum vestrae charitatis conscientia disponat, nec ibidem nisi pro graviore necessitate immoretur ultra terminos a Canonibus constitutos. Præterea nullus eorum sine licentia vestra audeat Ecclesie vestre clericos aut illic aut alibi ordinare, vel retinere: nec Parochianos quoslibet judicare, neque suos in vestra Ecclesia clericos constituere, neque de publicis criminibus penitentias indicere; porro tam B. Marci Ecclesia, quam ceteræ Ecclesie, vel Ecclesiarum clerici, inter eandem Parochiam sub vestra obedientia & dispositione constant; inobedientes verò juxta sanct. Canonum sanctiones tuæ potestatis coercentur arbitrio. Sane de Monasteriis SS. Hilarii, Georgii, Nicolai, sanctæ Crucis, S. Zachariæ, S. Laurentii, S. Erasmi, S. Servuli, eandem vobis obedientiam permanere sancimus, quam prædecessores vestri obtinuisse noscuntur. Porro Abbates in vestra Parochia constituti publicas Missas in Ecclesiis non suis minimè celebrare præsumant. Sancimus etiam, ut illi, qui in vestra Parochia assidue commorantur, & quibus tam ipsi quam eorum familiis spiritualia ministrant, decimas vobis absque alicujus contradictione persolvant. Prohibemus autem, ut nullus Episc. nullus Abbas, eis, tam sanis quam infirmis, publicè penitentiam injungere, vobis inconsultis, nisi fortè urgente mortis articulo, audeat. Ad hæc adjicientes decernimus, ut quascumque possessiones, quæcumque bona, eadem Ecclesia impræsentiarum iustè ac legitime possidet, aut in futurum

canonicè, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus in perpetuum, & intemerata permaneant. Si quis igitur imperterum huic nostræ constitutioni, temerè contraire tentaverit, secundò tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sanctissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultionis subjaceat; Cunctis autem eidem Ecclesie sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. EGO LUCIUS Catholicæ Ecclesie Episc. &c. Ego Conradus Sabiniensis Episc. &c. Ego Albericus Ostien. Episc. &c. Ego Imarus Tusculanus Episc. &c. Ego SS. Presb. Card. tit. Callisti &c. Ego Gilbertus Presb. Card. tit. S. Marci. Ego Rainerius Presb. Card. tit. S. Stephani in Coelio monte. Ego Manfredus Presb. Card. tit. S. Sabinae. Ego Gregorius Diac. Card. S. Sergii & Bacchi. Ego Guido Diac. Card. SS. Cosmæ & Damiani. Ego Gerardus Diac. Card. S. Mariæ in Domnica. Ego Gregorius S. Romanæ Ecclesie indignus Diac. scripsi. Rodolphus Diac. Card. S. Lucie in Septa folis. Dat. Lat. per manum Baronis Capellani, & Scriptoris, XII. Kal. Aprilis, Indiæ. VII. Incarnat. Dominicæ, anno MCXLIV. Pontificatus vero D. Lucii II. PP. anno I.

Solita clausula.

Lucii PP.

& S. R. E. Card. subscriptiones.

Dat. die 27. Martii anno Domini 1144. Pont. anno I.

VII.

Confirmatio Concordiæ, inite inter Canonicos Ruthenenses & Monachos Massilienses, super Ecclesia S. Amantii, & sepultura civium Ruthenensium.

Lucius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Massiliensi Abbati, ejusque successoribus regulariter promovendis, in perpetuum.

Ex Archiepiscopi Ecl. hujus editi: Baluzii Miscellan. Tom. II. pag. 128.

Æquum & rationabile esse dinoscitur ut qui ad Ecclesiarum regimen assumpti sumus, eas & a pravorum hominum nequitia tueamur, & ipsarum quieti atque utilitati, auxiliante Domino, salubriter providere curemus. Quamobrem, dilecte in Domino filii Petre Abbas, tuis iustis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesias, quas canonicè possidetis, videlicet Ecclesiam sancti Amantii, quæ in Ruthenensi suburbio sita esse dinoscitur, & Ecclesiam sancti Austremonii de Sales, cum cappellis & omnibus ad ipsas Ecclesias pertinentibus, sub Apostolicæ Sedis protectione suscipimus, atque tibi tuisque successoribus, & per te Massiliensi Monasterio, præsentis privilegii paginâ confirmamus. Præterea conventionem, quæ inter te & venerabilem fratrem nostrum bonæ memoriæ Ademarum, ejusdem Urbis Episcopum, & Canonicos, utriusque partis voluntate atque convenientia, rationabiliter facta est, & scripto firmata, auctoritate

Exordium.

Concordia, de qua in Rubrica.

M m

Apo.